



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Alena Virgo M. Vsus orationis macutinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. ALENA VIRGO M.

Usus orationis matutinae.

Deus, qui B. ALENAM, matutinas preces devote frequentantem, duplici laureola virginitatis & martyrii condecorasti; da ut ad te primo mane evigilantes, totum diem sancte in tuo servitio transigamus.

Ora pro somniculosis ad preces.

℟.

Ad usum Patrum

Circa annum 640, vivebat Dilbecq̄ prope Bruxellas, Regulus adhuc gentilis Levoldus, cujus filia virgo ALENA, cum Christi fidem baptismumque clam suscepisset, quot noctibus per tenebras ibat ad matutinam synaxim Forestum. Hoc in exercitio à submissis per patrem indignatum ministris deprehensa, cum retrahi se nulla vi pateretur, expiravit inter eorum manus. Brachium ab humero avulsum (novit Deus quo modo) & Foresti super altari positum invisibili manu, excivit fideles ad requirendum corpus, ad quod cum crebra miracula fierent, amplior primum ecclesia, dein & monasterium nobilium virginum, quod hodie dum perseverat, est conditum anno 1096, sub regimine Abbatum Affligemensium; quorum unus Godiscalcus 1193 sacra ossa elevavit. Capsa anno 1523, itemque 1600 aperta, inventa est pene omnia adhuc continere, estque eadem an. 1644 in argenteam valde speciosam commutata, quæ nunc servatur super altari, quod in Choro, Patronæ bene merenti, novum erexit Sanctimonialium pietas 1682.

Oportet pravenire solem, ad benedictionem Dei, & eum adorare. Sap. 16.